Magnifice Rector.

Gratias tibi ago ingentes, quod primus omnium sincere exposuisti
causas et fundamenta, quibus superstructa fuerunt tot annorum
Tragoediae, quas a nullo hactenus tanta sinceritate intelligere potuj.
Respondebo autem ad singula; quia multa ad vos falso delata,
pleraque in peiorem sensum, ignorantia verarum causarum, ac-
cepta; unde etiam de actionibus meis rectum judicium formari
non potuit.
Ubique discurris. Ambulationibus a juventute assuetus fui, easque
et Medicorum praecepta et experientia tot annorum salutares
mihi persuaserunt. Discursationes meae non sunt ubiquitariae
sed jam a duodecennio, inclusae limitibus Hagae et Amstelodami
et per suburbana, Oegstgeestae, Rheinburgi, ad aedes Dn. Mattenessij.
A pueris exsibilaris. Culpa ergo puerilis est, nec tamen id unquam
deprehendere potui. Nosti quid Elisae factum, cum quo nemo nostrum
comparandus est.
In tabernas incidis. Si in via vel itinere, aut alias ob causas in taber-
nas publica authoritate stabilitas divertam, quae hic est iniquitas?
Vino te ingurgitas. Hoc vero demonstrari nulla ratione potest, qui
tota vita ab illo excessu abhorrui. Suasum mihi est a Theologis et Medicis
ut interdum animum haustu vini exhilarem. Hoc non est se ingurgitare.
Nosti illud; Cavete, ne graventur corda vestra etc.
Incondita loqueris cum pateris epilepticas convulsiones.
Cum aliquoties febri ardente, quae hic endemia, laborarem, quis hic
sanae mentis, aegroto exprobret, incondita verba? Si aliqua tum
imago fuit convulsionum, reddant Medici rationem, qui violenta
et enormi venae sectione ac aliis medicinis convulsivis causam
praebuerunt. Quod autem Dei infertur, naturae adscribi non debet.
Quando mentis compos non es. Inquirantur causae externae
et tum patebit cujus culpa sit quod interdum etiam mansuetissimi
tam violenter et nefarie tractati, sua taedia habeant?
Nunquamne vos, me longe sapientiores, a statu mentis dimoti?
Quid est ira nisi furor.
Ministrantes tibi percutis furiose. Examinentur circumstantiae
et innocentia mea sole meridiano clarior erit. Vim inferentes,
post omnia patientiae documenta, si repulerim, quis exprobret?
Neminem vis audire. Ipse judex, qui me per XV annos nosti.
Ego vero conqueri possum quod me nemo audire voluerit.
Nemo tecum tuto et secure in eadem domo solus esse potest
Interrogentur illi cum quibus in hac Civitate habitavi et habitas
Enormitas hujus criminationis patebit. Rixae aliquoties exortae
sed si causae earum examinentur, patebit quis in culpa fuerit.
Trucibus gladiis minitaris. Hae accusationes adeo sunt gene-
rales, ut si circumstantiae loci, temporis, personarum addantur,
tum mihi hoc vel cum sapientissimis commune esse deprehen-
detur. Minae, si justae, non debent esse blanditiae.

Rebus tuis superesse non potes. Haec mea culpa non est, s[ed]
illorum qui res meas, me invito et ignaro, inutas[?] ... sump[tibus]
qui me sumtibus non necessarijs, praetextu defendendi pri[vi-]
legia Academiae, exhauserunt, qui aerarium Academ[iae]
vacuum obtruserunt; qui me impediunt quominus qua[e]
jure debentur, jure persequar.
Hoc sane civis vestrum, etiam sanissimo, accidere pot[est]
si milites aedibus et sub praetextu vel morbi vel rixar[um]
domesticarum, ejus res depraedentur.

Vane jactas vocationes peregrinas. Si vis legere Lite[ras]
meas, mittam illas tibi et tum judica de vanitate.

De Civitate in Civitatem abis Florense. Non temere ...
Et jam supra responsum. Peripateticus sum: hoc crim[en]

Profiteris te velle in Germaniam concedere.
An mirum, post triginta annos? Et sunt haec ex futu[ris]
contingentibus, ut loquuntur.

Sine Comite. Quis hoc vobis dixit?

Sine viatico. Hoc vero unde nostis?

Renuncias vocationi tuae, sine qua vivere non pot[es].
Haec a te visa est. Non renuncio vocationi meae, sed
eam exercere violenter prohibeor. Quid enim fac[iat]
domi inclusus et per vim a legendo prohibitus?
Nuper cum ultimum te domi tuae alloquerer, unum ho[c]
tanquam palmarium objecisti: Dicunt te non legere.
Jam vero ipse nosti me jam per biennium violenter,
etiam extra ullius morbi statum, a legendo multis[que] ...
prohibitum fuisse.

Nemo potest credere te jam sanum esse, nisi agn[oscas]
te non sanum fuisse et pro non sano egisse.
Ultro sane tam amicabilem conditionem accipio.
Non sanus fui; aliquoties letaliter aegrotavi, ut et mu[lti]
Collegarum nostrarum; multa pro non sano egi
ut omnes homines solent.
Semel insanivimus omnes.

Te sanum esse ostende. Faciam libenter libertati restit[utus]
inclusus hoc ostendere non possum.
Faciendo quod sani faciunt. Faciam liber et in Acad[emia]
Admonitiones audiendo. Libenter, praesertim tuas

Haec ad Tuas humanissimas, Magn. D. Rector.

Dimissionem peto, ea conditione, si imposterum ita mecum agatur, e opera mea inutilis reddatur per tantam violentiam.

Libertatem legibus Acad. stabilitam, partus sum in accessu; eam mihi servari volo; intelligitur enim etiam recessus liber.

De caeteris, Deus e dies providebit.

Te rogo, ne cognato meo quicquam dicas de hac particulari actione, donec Dn. Curatores aliquid certo statuerint.

Ingenue proposuisti, omnes etiam falsissimas e atrocissimas hostium meorum objectiones ac criminationes; imprimis universales illas: Neminem vis audire etc

~~Nemo tecum ~~dato~~ & securè etc~~

~~Nemo potest credere. etc~~

Quae quam difficiles ac impossibiles sint probatu, ipse nosti

Vale pl. Rect. Magn. e Collega conjunctissime, cui hanc causam in solidum committo.

Utcunque res cadat, bona conscientia fretus, Deo rem committo, qui te diu servet.

13. oct. 1668. Rev. T. addictiss

Jo. Wolleb.

Celeberr. Viro
D. Jo. Coccejo
Rect. Magnif.
Acad. Leydensi

Met een Boeckjen